

Boehmer Trag. 1798 nr. 9 d ist hinter } eingeklammert.
1798 nr. 4 b statt " "
" nr. 9 c

D. FRIDERICVS LVDOVICVS
K R E Y S I G

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.

FACVLTATIS MEDICAЕ WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE XX. OCTOBRIS C¹⁷96. CCXCVI.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T.

Momenta quaedam vitae vegetabilis cum animali con-
venientiam illustrantia exponuntur.

PARS II.

In specimine ante paucas septimanas edito corporum vegetabilium tum quoad materiae, ex qua constant, naturam, tum quoad eiusdem formationem in uniuersum cum animali corpore conuenientiam exposuimus; reslat igitur, vt, quod promisimus, nunc ostendamus, utrumque sic dictum organicum naturae regnum tum hac ipsa sua organica compositione, tum vero phaenomenis huius ministerio edendis, quorum complexum vitam appellamus, inter se conuenire. Notandum igitur est, omnia omnino corpora organica instrumentis plus minus compositis instructa esse, quorum beneficio nutrimentum suum tum ex organica tum ex inorganica rerum natura querunt, in se suscipiunt, suscepimus mutant, in propriam naturam vertunt, per totum corpus vehunt, ex communi humore nutritiuo hic parato tum alios humores separant et elaborant, tum substantiam solidam proprii corporis vel augent, vel conseruant, vel deperditam reparant, denique noua eiusdem indolis indiuidua ex se ipsis procreant. His ipsis rebus tum a rudibus nature corporibus quam maxime distinguuntur, tum inter se egregie conuenient.

De his igitur phaenomenis, quae, cum omnibus corporibus organicis, certis sub conditionibus, nempe dum via ea appellare licet, competant, essentialia vitae phaenomena vocare placet, eorumque conuenientia in animali et vegetabili regno momenta quaedam adhuc vberius exponere lubet. Et primum quidem plantas vasis instructas esse diversi generis, quorum beneficio humores per omnes corporis vegetabilis partes vehantur, nemo facile erit, qui dubitet. De eo quidem incerti haerent vegetabilis oeconomiae scrutatores, num vasis adducentibus et reducentibus seu arteris et venis plantae instructae sint nec ne? quod ipsum tamen accuratissimus aeque ac veridicus nostri aei obseruator HEDWIGIVS detexisse sibi videtur. a) Quodsi talis

a) De fibrae vegetab. et animalis ortu, p. 21. 22.

talis non esset humorum in plantis motus, qualis in animalibus magis compositis deprehenditur, inde tamen regni vegetabilis ab animali discrepantia non euinceretur. In inferiorum enim ordinum animalibus humorum motus vix quidem duplici vasorum genere, sed unico absolui, hinc nec proprio sensu circulus nominari posse videtur. Egregie quidem hoc ex Cel. SPALLANZANI obseruationibus eluet, quas in polypis marinis instituit, quorum corpus longitudinem quartu linearum nunquam superabat. Vedit enim parvam quandam atomorum columnam inde a fundo pedis polypi usque ad summam eius partem, quae campanulam refert, extendi; hos vero atomos omni quinta vel sexta minutula a fundo pedis magna cum celeritate superiora versus in medium campanulas partem intrare, ita ut tandem paucissimae in pede remanerent; facta vero in campanula per aliquot secundas motu aliquo quasi ebullientis aquae, eas iterum per eandem viam redire seu ad fundum pedis iterum descendere; post brevem deinde hoc in loco moram denuo ascendere et iterum descendere, huncque alternante descendens et ascendens summo cum ordine et constantia absolui. b) En igitur analogon circulationis humorum in simplici corpore organico, quod ad animale regnum referendum esse omnes consentiunt. Vix igitur hac in re tantopere a se inicium differre videntur plantae ab animalibus, ut conuenire hoc respectu vtrumque regnum potius exillimandum sit.

Transeo ad nutritionis negotium, quod ipsum etiam in vitro que regno mirum in modum conuenit. Notissimum enim est, plantas nutrimenti sui elementa ab extus peculiaribus in hunc usum ex fructis organis in se suscepere, digerere atque in propriam substantiam conuertere. Videntur quidem plantae haec in re dupliciti respectu ab animalibus differre, primo, quod pluribus punctis nutrimentum hauriunt, altero, quod non nisi ex inorganico naturae regno nutritionis principia petunt; horum vero prius vix ita comparatum esse videtur, ut essentialiem, ut dicunt, plantarum, qua ab animalibus dissent, differentiam constitutre possit; alterum vero illud, nescio,

an

b) SPALLANZANI Reisen in beyde Sicilien etc. 4ter Band, Cap. 28. p. 242 sq.



an praerogativa potius plantarum, qua animalibus praecellunt, sit assimilanda. Haec enim non nisi res ex organico regno desumptas in proprium nutrimentum vertere possunt, quarum mixtio ab ea propriae substantiae non multum abhorret; hinc quodammodo praeparatum iam nutrimentum accipiunt; plantae vero, quod BOYLVS iam detexit et recentiorum diligentia confirmavit, vix alia re, quam aëre et aqua pura indigent, vt nutritantur. Ex paucis præcipiis, acidificante nempe carbonis et basi aquae, diversissimæ indolis et fluidas et solidas partes sibi ipsis componunt. c) Solum vero, in quo radicant, tantum abest, vt aliud quicquam iis præbeat, quam sedem et stationem, ut duriores arborum species, v. c. quercus ilex, rubus idaeus, fruticosus etc. inter faxa, laete crescant, vel plantæ experimenti caufa in quarzo ruditer comminuto collocatae nutritantur et florescant. d) Quid? quod adeo iam progressa est chemia, vt rationem, qua plantæ ex aëre et aqua sese nutritant, probabili ratione explicare ausa fit. Scilicet hydrogenium ex aqua, quod in ipsis decomponitur, hauriunt idque ita figunt, vt basis olei, mucilaginis, aliarumque partium in plantis obuiarum constituat; maxime autem hoc principium cum carbonico, quod tum ex aëre atmosphaericò tum una cum aqua, cui utrique sub forma aëris acido-carbonici inest, suscipiunt, coniungi videtur. Oxygenium vero, quod ex aqua et aëre in iis ipsis decompositis liberum redditur, partim, vt mox videbimus, excernitur, partim cum carbonico principio coniunctum in substantiam plantarum conuertitur. Quae quidem si accuratius consideramus, plantas omnino, quae paucis ex elementis nutrimentum suum sibi ipsis componunt, hac ipsa virtute digerente animalibus praecellere fatendum est. Interim vero notandum est, ex institutis nuperrime experimentis e) concludendum esse videri, et animalibus maxime minus compostis virtu-

c) videtas DE HUMBOLD I. c. §. II. DE VSLAR I. c. p. III. HOFFMANN in GREEN's *Journal der Physik*, 3ter Band. ABERNETTY's *chirurg. u. physiol. Versuche*, a. d. Engl. von BRANDIS, Leipzig. 1795. p. 75-100 etc.

d) DE VSLAR I. c. p. 113.

e) ABERNETTY I. c. p. 96.

 virtutem hanc non prorsus esse denegandam, ex simplicissimis, (qua-
lia nobis certe esse videntur,) elementis nutrimentum suum sibi pa-
randi, ita vt ne hac ipsa quidem re inter utrumque regnum tantum
assumendum esse videatur discernere.

Quemadmodum porro animalia ex communi humorum fonte
alia separant, vel excernenda, vel usui cuidam in corporis oeconomia
destinata, sic in plantis etiam eiusmodi secretiones et excretiones anim-
aduertuntur. Ex uno enim eodemque humore ex radice in corpus
assurgente diversae indolis humores, quos in una planta obseruanus,
tum ope vaseolorum tum in corporibus glandulosis et folliculis fecer-
nuntur. f) Num vero aliuna quasi excretione flercorum per radices
expedienda plantae gaudeant, vt nonnulli voluerunt, g) dubitandum
quidem eo magis videtur, quo simpliciora nutrimenti eorum elementa
esse scimus. h) Certum vero atque comprobatum est, folia plantis
eundem in finem ac pulmones animalibus data esse illasque aëre atmo-
sphaericō eadem, ac animalia, ratione, vt, inspiratione eum suscipere,
intus deponere, deinde vero etiam principia aëriformia quaedam
corundem foliorum ministerio expirare. In ipso autem hoc respirationis
negotio plantae cum iis animalibus conueniunt, quae aquam respi-
ratione in se suscipiunt eiusque in corpore decompositae partem re-
liquam alto, quam quo ingressa erat, loco efficiunt. In eo tantummodo
haec plantarum expiratio ab ista animalium differt, quod, quantum
quidem scimus, haec omnia, vel aërem vel aquam solam inspirant,
eam semper harum materiarum partem, quae oxygenium vocatur,
in usum suum convertunt, reliquias vero iterum expirant, planta-
rum vero pleraque hoc ipsum principium, maxime radiis solis expo-
sitae, expirant; et non solum aërem sed etiam aquam inspirant; inter-
rim vero magna inter plantas, expiracionis ratione habita, obseruantur
diuersitas. Sunt enim omnino quaedam inter ea, quae omne, quod
aëri

f) Cel. HEDWIG de fibrae vegetab. etc. p. 22. etc. et in annotationibus
ad Cl. DE HUMBOLD fragmenta supra cit. p. 157.

g) Cl. DE HUMBOLD l.c. p. 116. DE VSLAR l.c. p. 80. etc.

h) vid. Cl. HEDWIG annot. ad fragmenta DE HUMBOLD p. 154. §. II.



aëri et aquae inest, oxygenium retinent et hydrogenium exspirant; omnes vero, quae luci expositae oxygenium excernunt, noctis tamen tempore aërem acido-carbonicum exspiratione reddunt. i)

Aliud phaenomenon, quo organica corpora tum inter se convenient, tum a mortuis distinguuntur, in propagatione cerni diximus; maxima autem et in hoc negotio inter vtrumque regnum obseruantur conuenientia. Et primo quidem aut divisione aut noua generatione corpora vtriusque multiplicantur. Generatio in vitroque duplicitis sexus combinatione absolvitur; maxima adeo spermatis masculi in plantis et animalibus analogia, k) eiusdemque in genitalia feminina diuersae speciei applicatione in vitroque regno hybridæ species exsurgunt, quae paterni maternique corporis formam coniunctam gerunt; denique, vt plura taceamus, in vitroque etiam hermaphroditæ obseruantur. l)

Si quae est hac in re inter vtrumque regnum differentia, ea quidem ex Cl. HEDWIGI sententia m) in eo verlatur, quod plantæ, coitu peracto, genitalia sua simul perdant eaque, vt denuo eundem actum celebrari possint, renouari debeant, cuin e contrario animalia iisdem semper organis ad hunc actum vtuntur, nec unquam nouis eiusdem indolis donentur.

Denique maximam etiam in partibus maioribus, quae deperditæ fuerunt, reparandis in vitroque regno analogiam deprehendimus, n) eaque tanta est, vt durius quoque lignum, non minus ac ossa animalium, vbi destructum fuerat, reparari posse videatur. o)

Sed

i) GIRTANNER *Aufgangsgründe der antiphlogist. Chemie*, p. 234. DE HUMBOLDT I. c. §. II.

k) Cl. HEDWIG de fibrae veget. et anim. ortu, p. 12.

l) Cl. DE VSLAR I. c. p. 81.

m) *Leipziger Magazin anni 1784.* p. 215 seq.

n) Cl. DE VSLAR I. c. p. 83 seq.

o) Cl. HEDWIG in annotat. ad librum supra cit. Cl. DE HUMBOLDT p. 154.

Sed haec sufficient. Commendandus quippe nunc est
VIR
PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS,
IOANNES GEORGIVS DVEMICHEN
IV TREBOCO - SAXO
MEDICINAE CANDIDATVS,
quem de vita sua sequentem in modum exponentem audiamus.

Ego, IOANNES GEORGIVS DVEMICHEN, anno huius seculi sexagesimo quinto, die quarto Iunii natus sum in Suburbio Iutreboei, Neumark dicto. Pater mihi est GEORGIVS DVEMICHEN, tunc temporis ibi sculetus, nunc autem Hohenwerbigi caupo; mater autem mea, IOANNA LOVISA, e gente MELISIA. Quos optimos atque probos parentes superstites adhuc mihi gratulor, cum tu in me rite educando et christiana religionis principiis imbuedendo omnem nauerint operam. Primus vero praceptor mihi fuit KVRZREY, Suburbii iamiam dicti ludimoderator. Anno actatis meae decimo quinto in Gymnasium Iutreboense me contuli ibique Collegae tertii HEINSII, WEBERI Correctoris, FINGERI nunc Diaconi, et Rectoris DISINGII institutionibus non sine vnu fructus sum. Deinde Lyceum Lubbenense per quatuor annos frequentau, quo temporis spatio HARTVNGIVS, Corrector, SVTTINGERVS, Rektor, qui mihi fuerunt praecceptores amantissimi, latinam, graecam et hebraicam linguam potissimum me docuerunt. Anno millesimo septingentesimo nonagesimo Vniuersitatem litterariam Vitebergensem salutau, et a Rectore Magnifico, Exp. D. BOEHMERO, in studiorum numerum receptus sum. Hic Excell. KLOTZSCHII institutione privatissima in philosophia vnu sum, et cum ab initio animum ad theologiae studium applicasse, S. V. REINHARDVM, non solum philosophiam, verum etiam theologiam dogmaticam et moralem tradentem, audiui. Exc. SCHROECKHII vero praelectionibus historiae reformationis et vniuersitatis, nec non Exc. MATTHAEI collegio exegeticio in Euangelium Marci, et DRASDO, nunc praepositi et Superintendentes dioecesis Kembergensis, collegio hebrelico in Genesim et graeco in Epistolam Pauli ad Corinthios interfui. Deinde vero, mutato consilio, medicinae me totum dare apud animum constitui et primo, ut maiori cum fructu Professorum collegii interesse possem, C. WITTICH,

et



et C. VOGTII, nunc Prosectoris dignissimi, istitutionibus privatissimis usus sum. Tunc autem ex ore Exc. Prof. TITII historiam naturalem et physicam experimentalēm percepī. Exp. D. BOEHMERI p̄aelectionibus therapiae generalis cum materia medica coniunctae et medicinae Clinicae, nec non eius collegio disputatorio interfui; b. Exp. NÜRNBERGERVS oeconomicam vegetabilem, botanicam theoreticam aequē ac practicam in horto academico; deinde anatoman et artem cadavera scandi, denique physiologiam splanchnologiam pathologicam, atque doctrinam de vulneribus me docuit. Exp. TITIVS pathologiam, chemiam, chirurgiam et politiam medicam mihi tradidit, practerea collegio eiusdem disputatorio et examinatorio interfui. Exp. LANGGVTHIO in oftologia, in praelectionibus de morbis mulierum, in arte obstetricia et in doctrina de fasciis doctore usus sum. Exp. POSEWITZ, nunc Prof. Gießenensis, doctrinam de fasciis chirurgicis et arteriologiam mihi explicauit. Exp. FRENZEL autem anthropologiam et artem veterinarium mihi exposuit. Tandem patribus academiae conscriptis pro beneficio Vateriano, quam munificentissime in me collato, gratias ago habeoque quas possum maximas, et ut per longissimam annorum seriem prosperrima incolumente fruantur, ex intimo corde exopto.

Clarissimus hic Candidatus, qui, peracto studiorum cursu, iam ante hunc annum examen pro Candidatura, quod vocant, non sine laude superauit, dignus ab ordine nostro iudicatus est, cui, quos humanissime nunc a nobis petuit, maiores in medicina, neimpe *Licentiati* honores tribuerentur. Quem in finem Dissertationem:

De Mammarum Praefidis, post Partum,
Praefide Viro Experient. Excellent. D. GEORGIO RUDOLPHO BOEHMERO, Therap. Profess. P. O. Academiacae nostrae Seniore Grauissimo, Collega et Fautore Summe Colendo, die proximo Iouis, i. e. 20. Octobris, contra dissentientium obiectiones defendet. Quam solennitatem ut praesentia sua splendidiorem reddere velint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, GRAVISSIMOS VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, nec non GENEROSSISSIMOS ET PRAENOBILISSIMOS UNIVERSITATIS NOSTRAE CIVES, OMNESQVE OMNINO LITTERARVM FAVTORES obseruantissime regamus. Die 15. Octobris A. R. S. 1593CCXCVI.

Wittenberg, Diss., 1796-98

vd18

f



S6.

a

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
inches



D. FRIDERICVS LVDOVICVS
K R E Y S I G

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.

FACVL TATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE XX. OCTOBRIS MDCCLXXVI.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T.

Momenta quaedam vitae vegetabilis cum animali con-
venientiam illustrantia exponuntur.

PARS II.